Quelle: https://manuscripta.at/?ID=967
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



consecum: ℣. Oficia ℣. m xl.

Iudica me deus et discerne causam meam de gente non sancta ab homine iniquo et doloso eripe me quia tu es deus meus et fortitudo mea. Ps. Emitte lucem tuam et veritatem tuam ipsa me deduxerunt et adduxerunt in mon. s. tu.

Ad introitum missae quemlibet.

Omnipotens deus qui. Gla pri. familiam tuam propitius respice. ut te largiente regatur in corpore et te seruante custodiatur in mente. ℣. Ad Hebreos

Fratres. Christus assistens pontifex futurorum bonorum per ampliorem et perfectiorem tabernaculum non manufactum: id est non huius creationis: neque per sanguinem hircorum aut vitulorum. sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta eternam redemptione inuenta. Si enim sanguis hircorum aut thaurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis multomagis sanguis christi qui per spiritum sanctum semel seipsum obtulit immaculatum deo: emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum deo viuenti: et ideo nouum testamenti mediator est ut a morte intercedente in redemptionem earum praeuaricationum quae erant sub priori testamento repromissionem accipiant qui vocati sunt eternae hereditatis. in christo ihesu domino nostro. Gradualis

Eripe me domine de inimicis meis doce me facere voluntatem tuam. ℣. Liberator meus domine de gentibus iracundis et ab insurgentibus in me exaltabis me a viro iniquo eripies me. Tractus. Sepe expugnauerunt me a iuuentute mea. ℣. Dicat nunc israel sepe expugnauerunt me a iuuentute mea ℣. Etenim non potuerunt michi supercrescere peccatores. ℣. Prolongauerunt iniquitates si ℣. bi dominus iusto concidit cervices peccatorum.

℣. In illo tempore Iohannes. Dixit ihesus turbis iudeorum et principibus sacerdotum. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis quare vos non creditis mihi? Qui ex deo est verba dei audit. Propterea vos non auditis: quia ex deo non estis. Respondentes iudei et dixerunt ei. Nonne bene dicimus nos quia samaritanus es tu et demonium habes? Respondit ihesus. Ego